



3670.

38

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS

De

1677/5

ARRESTIS

Quam

DIVINA FAVENTE GRATIA
DECRETO ET AUTHORITY NOBILISSIMI
JCTORUM ORDINIS IN INCLITA ET PERANTIQUA
ELECTORALI ACADEMIA HEIDELBERGENSI

PRÆSIDE

VIRO NOBILISSIMO ATQVE CONSULTISSIMO

DN. CHRISTIANO

ERNESTO *Reichenbach/*

J.U.D. ET PAND. PROF. ORD.

PRO LICENTIA

SUMMOS IN UTROQUE JURE
HONORES, PRIVILEGIA AC INSIGNIA
DOCTORALIA RITE ET LEGITIME
CONSEQUENDI

Publico Eruditorum Examine submittit

JOHANNES *Geissel/*

Marpurg. Hassus.

Ad Diem I. Martii H. L. Q. S.

HEIDELBERGÆ,

Typis, SAMUELIS AMMONII, ACAD. Typogr.
ANNO M DC LXXVII



SERENISSIMÆ PRINCIPI
AC DOMINÆ

DNÆ. HEDWIGÆ
SOPHIÆ

EX POTENTISSIMA ELECTO-
RALI MARCHIONUM BRANDENBUR-
GICORUM FAMILIA ORIUNDÆ, PRINCIPI MAGDEN-
BURGI, BORUSSIÆ, JULIÆ, ET CLIVIÆ,
MONTIUM, STETINI, POMERANIÆ &c. DUCI
HASSIÆ LANDGRAVIÆ, HALBERSTADII,
MINDIÆ ET HIRSFELDIÆ PRINCIPI, CATI-
MELIBOCI, DECIAE ZIEGENHAINÆ, NIDDÆ
ET SCHAUMBURGI, MARCÆ AC RAVEN-
SPURGI COMITI, DOMINÆ IN RAVEN-
STEIN, VIDUÆ, TUTRICI ET
AUGUSTÆ HASSIÆ
RECTRICI

Dominae suæ Clementissimæ

UT

UT ET
SERENISSIMO PRINCIPI
AC DOMINO
DN. CAROLO
HASSIÆ LANDGRAVIO,
PRINCIPI HIRSFELDIÆ COMITI
CATIMELIBOCI, DECIÆ, ZIEGEN-
HAINÆ, NIDDÆ, ET
SCHAUMBURGI &c.

Domino suo Clementissimo

Se Suaque Studia Humillimis verbis
& mente devotissima Commendat

SERENITAT: S.S.

Subiectissimus Cliens.

JOHANNES Geissel,



IN NOMINE DOMINI
NOSTRI JESU CHRISTI

THESIS I.

ARRESTORUM vocabulum barbarum est, usu tamen quotidiano, in foro, & judiciis, ubiq; in Germania notum & receptum. Germanicè Ein Arrest/Verbott/Ruñer/Zuschlag/die Güter oder Persohnen bekümmern/und verbieten lassen. Gallis ARRESTER est impedire & gradum sistere, fortè ex Latino Restare. *Gail. de Arrest. imper. cap. 1. num. 2. Rosbach. prax. civ. tit. 28. num. 2.* ARRESTARE hinc nihil aliud significat, quàm impedimenta & interdicta, quibus quis impeditur, & quodammodo debitori usus rei suæ interdicitur, ne excedat eo loco, in quo inventus est, donec creditori satisfacit. Alii derivatum desiderant à Græcò verbò ἀρραίσου, quod significat incorruptum, inviolatumque, fortè quod in supremis Curiis Sententiæ incorruptæ, & justissimæ exeant, aut certè exire deberent, quæ inviolatæ manent, nullaque provocatione, seu appellatione infringi, aut suspendi possunt. *leg. 1. ff. Quib. Appell. non lic. Calvin. in Lex. jurid.*

A

Alii

Alii *ἄρῆσιν* τὴν ἀρῆσιν, quòd placitum & decretum denotat. Quæ posteriores derivationes ad instituti mei rationem non pertinent.

Thef. II.

Definitio Arresti.

Est autem ARRESTUM, vulgò *Rummer*/nihil aliud, quàm mandatum legis vel judicis, quo ex iustâ causâ prohibetur persona extra jurisdictionem judicis arrestantis Secedere, vel res quæcunque inde dimoveri, nisi rebus cum eo compositis, qui propterea apud judicem conquestus est. *Mev. tract. de Arrest. cap. I. num. 12.*

Thef. III.

Divisio Arresti.

Dividuntur Arresta à causâ efficiente in publica, & privata. Publicum, vel *legis* est, vel *Magistratus*. Arrestum *legis* est, quod lex imperat & decernit, vel quò arrestantur ii, quibus inde prohibitum est, ex certo loco discedere, videlicet iudicibus tam civilibus atq; militaribus, eorumque domesticis extra provinciam, quam tenuere intra quinquaginta, post finitam administrationem, dies, *leg. unic. Cod. ut omn. jud. tam. civ. quam milit. leg. 3. Cod. de Assess. & domest.* Arrestum *hominis* est, quod imponitur à iudice, idq; vel ex officio ejus nobili, veluti cum Reipublicæ interest, detineri personas verb. *caus. in debitis fiscalibus resve alicujus, vel ad petitionem eorum, quorum interest, & fit vel per citationem verbalem leg. dies 4. §. Prator ait ff. de damn. inf. præclusionem Rei, aut personæ, in loco ubi inventa est, hac lege ut excedere loco, vel rem suam auferre prius non liceat, quam negotio plane sopito, rebusq; cum eo compositis, qui apud judicem de eo questus est:*

est: *leg. Consentaneum cod. quomad. & quand. jud. Pistor. consil.*
 58. num. 1. vel per citationem realem, seu præhensionem,
 quæ fit extractione e domo sua, id est manus injectione in car-
 cerem. *Ulpian. in dict. lege dies.* ubi hanc opponit citationi
 verbali, quam verecundam vocat.

Thef. IV.

Porro Arrestum dividitur in *necessarium*, seu *judiciale*, & in
voluntarium, seu *conventionale*. Illud Appellatur *judiciale*,
 quod licentiâ & decreto judicis irrogatur. Hoc *Voluntarium*,
 seu *conventionale*, quod ex partium conventionione conceditur.
 Veluti si convenerit, ut si dicto tempore fidem non liberet
 debitor, liceat Creditori res & personam ejus sistere: non
 quidem propriâ authoritate, quod esset contra *leg. 1. Cod. de*
execut. rei jud. & tot. tit. ne quis in sua causa. Mynsig. dec. 6. Resp.
67. num. 16. sed mediante & concurrente ope Magistratus,
 & judicis; nisi tamen aliud imperet necessitas, ob fugitivum
 aut de fuga suspectum creditorem, quæ de jure inter se æqui-
 parantur. *Math. Coler. Process. exec. Joh Copp. decis. 29. num.*
10. part. 1. & Guilielm. Ant. de Freudenberg. in Tract. de Rescript.
morator: conclus. 51. num. 110. tunc enim privatâ creditoris au-
 thoritate, nullâ permissione judicis impetratâ (qui unus est
 Licitus casus des *Selbgerichts* de quo vid. *Wehner. observat.*
practic. lit. S. dictâ voce, p. 440. Besold. in Thesaur. pract. n. 48. lit. S.
verbo Selbgericht) capi & prehendi poterit. leg. generali. 54.
ibi. Si Præsidis desit Copia in eundem manus injectione concessa. de
decur. lib. 10. leg. si alius §. bellissime ff. quod vi aut clam. arg. leg.
Si calvitur 233 ff. de V. S. leg. ait Præter. 10. §. 16. ff. de his qui
in fraud. cred. Berlich. part. 2. concl. 27. num. 29. & latè Joh. Cac-
cialup. in tract. de debit. suspect. & fugit. ne mora illa recupe-
 randi debiti spe omni excidat, ideoque melius erit occurrere

✿ (4) ✿

in tempore, quam post exitum irritò vindicare. *leg. 1. Cod. quand. lic. unic. se sine jud. vind. Rumelin. ad A. B. part. 2. diss. 6. th. 3.*

Thef. V.

Observandum autem est, quod Arrestum judiciale (*teste Gail. de Arrest. Imp. cap. 1. num. 7.*) regulariter prohibitum sit, *per text. in 6. 2. de sequestrat. posses. & fruct.* Secus est de Arresto conventionali, quod de jure habetur licitum: Quia hujusmodi conventiones in pactum venire possunt. Pacta autem nihil turpe aut dolum continentia servari jubet Prætor, *leg. 7. §. 7. ff. de pact. cum nihil humanæ fidei tam congruum sit, quam ea, quæ inter eos placuerunt, servare. leg. 1. princ. de pact.* Adhibito tamen judicis officio, ut in præcedenti thesi monitum.

Thef. VI.

Res Arrestanda.

Res Arresto subjacentes. sunt omnia bona debitoris tam mobilia, quàm immobilia in loco domicilii debitoris existentia, nisi in petitione arresti certa tantum bona per actorem designata fuerint, etiam annuæ præstationes. *Math. Coler. de process. execut. part. 2. cap. 3. num. 489. vers. hinc est & seq. Petr. Peck. in suo tract. de jure sistend. & non tantum bona quæ purè, sed etiam quæ sub conditione, & in diem debentur, arresto affici possunt. dict. Math. Coler. de process. execut. part. 2. cap. 3. num. 113. & seqq. Anton. Hering. tract. de fidei. cap. 5. num. 45. & seqq. Petr. Heyg. part. 2. quest. 7. num. 98. 99. & 110.*

Thef. VII.



Theſ. VII.

E Tiam res vendita quamvis nondum tradita, arresto sub-
jacet, quia traditione, non pactis rerum dominium ac-
quiritur *leg. 20. Cod. de pact.* igitur, licet emptor creditori pre-
tium numeraverit, aut alio modo satisfactionem præstiterit,
non tamen ex solâ emptione ille dominus factus, ante tra-
ditionem revera subsecutam §. 3. *Instit. de Empt. & vend.* Et
animadvertendum hic, quòd res, quæ pondere numero aut
mensurâ constant, etsi post venditionem Emptionis in do-
mum adductæ fuerunt, tamen non adpensæ, traditio nondum
videtur facta. *leg. 35. §. 5. ff. de contrah. empt.* Quomodo
etiam in praxi tenet partes, quòd licet frumenta deferantur
ad domum mercatoris, qui pecuniam prænumeravit, aut mer-
ces credidit, ante mensurationem tamen rectè arrestum infli-
gatur. *Mev. cap. 9. num. 11. & seqq.*

Theſ. VIII.

Quemadmodum quædam personæ beneficio immunita-
tis arrestorum utuntur, uti in sequentibus patebit, ita & *Res non Arrestan-*
res nonnullæ ab arrestis immunes sunt, ut (1.) Jure Cano-
nico, res ad ædes sacras destinatæ, nimirum, quando arrestum
judex secularis imponit tanquam incompetens *per cap. 12. extr.*
de for. compet. quia absque sacrilegio bona talia capi non pos-
sunt, quorum dominia semel Ecclesiæ concessa sunt, nisi ac-
cedente autoritate judicis ecclesiastici *c. 3. caus. 12. quest. 2.*
leg. 21. Cod. de S. S. Eccles. Col. dict. tract. part. 2. cap. 3.
numer. 187.

A 3

Theſ. IX.

Thef. IX.

Secundò, ab arresto exempta sunt bona militum, scilicet, equi, arma, quando ad bellum properant, quia hi favorem merentur, quod armis suis sanguine rutilantibus, Rempublicam defendant *leg. 15. Cod. de milit. testam.* & quantum ad forum attinet, privilegio hoc gaudent, ne alibi quam apud magistrum militum conveniantur *leg. magisteria. Cod. de jurisd. omn. judic.* ne à militia distrahantur. Sic & Doctoribus & Scholaribus non debent juxta quorundam sententiam, arrestari, libri, item res, quæ portantur, vel ab ipsis, vel ipsorum aurigis, & nunciis, pro causa studiorum, ne studium ob librorum amissionem deserant. Studiosorum enim interest, habere libros, per quos doctrina & scientia repleatur *l. pen. ff. ad exhib.* & in studio hujus scholastici utilitas publica versatur, & libri enim studiosorum cum armis militum æqualem partem sustinent.

Thef. X.

Tertio in rebus etiam ad agriculturam pertinentibus, prout sunt, equi, vel boves aratorii, pecora stercorationis ob causam comparata, ligones, aratra, lurculi, falces putatorix, bidentes vel vomeres, item castella vel similia instrumenta, quibus agricolæ pro subigendis & renovandis, item pro impinguendis agris indigent, executio fieri non permittitur, cum prædictas res, sicut & ipsos agricolas eorumque terras, plenâ securitate gaudere, & pro debito in causa judicati vel instrumenti executivi, à pignoratione immunes esse conveniat boves vel servos aratorios, item instrumenta, pignoris causa de possessionibus non abstrahant *leg. pignorum 8. & auth. agricultores.*

cultores. Cod. qua res pign. oblig. Ratio quia harum rerum inclusio vel pignoratio, non tam privatum quam publicum commodum impedit. *leg. divus Pius 5. in princ. ibi. ne alias utilitas impediatur. de petit hered.* Siquidem propter non factam prædiorum culturam sterilitas fructuum induceretur. Hoc autem verum est, nisi alia bona ad satisfaciendum deficient; Aliàs enim nemo facilè inveniretur, qui cum rusticis contrahere, aut in creditum ire vellet.

Thef. XI.

Quartò, arrestum generale non extenditur ad bona sub alienâ, quantumvis tutelari jurisdictione sita, quia arrestum debet decerni à iudice competente, sub quo bona sita sunt, aliàs arrestum ipso jure nullum est. *leg. 1. & 2. Cod. si à non compet. jud. fuerit.* perinde habetur ac si privatâ auctoritate factum esset. Hæreditas jacens quoq; excipitur ab arresto, nulla enim hic existit persona, quæ citari, interpellari, & in morâ constitui possit. *leg. 24. §. 2. ff. solut. matrim.* quamdiu enim jacet, ad instar pupilli vel furiosi, qui indefensi existunt, ipsaq; bona antequam hæres existit nullius in bonis sunt, *leg. 1. §. quod autem ff. de rer. div.* Tandemq; Lecti, & vestes vulgares, ad quotidianum, & necessarium usum, cujusq; debitoris, etiam privati, deputatæ, sine quibus homo commodè, & honestè, vivere non potest (tanquam quæ sub generali vocabulo alimentorum veniunt, *leg. legatis 6. & leg. fin. de aliment & cibis legatis*) in ea conditione sunt, quantumvis aliàs à mobilibus executionem ordiamur, *leg. à Divo Pio 15. §. inventione de re judicata.* ut aliis existentibus bonis, pro executione. pignori capi nequeant.

Thef. XII.



Thef. XII.

*Persona
arrestum
petentes*

Videamus nunc, quis, vel res, vel personam alterius arrestare vel detinere possit. Et principio quidem constat de creditore, cui quid, quacunq̄ue ex causâ legitimâ debetur. Illius gratiâ enim jus arrestorum potissimum introductum est. Creditor autem non tantum is intelligitur, qui pecuniam credidit, sed omnis, cui ex qualibet causâ debetur *leg. 11. ff. de V. S.* Ex delicto etiam *leg. 12. ff. dict. tit.* Sive ei pure debeat, sive in diem, sive sub conditione. *leg. 10. ff. dict. tit.* Ideoque antequam creditor ad arrestum deveniat, prius iudicem verisimiliter docere debet vel per ostensionem instrumenti obligationis, vel per testes, si forte singrapha ad manus non adsit, vel deniq̄; alia aliqua legitima & summaria probatione, per quam iudex credere potest, verum esse suum peritum. Sed an solum juramentum creditoris sufficiat, dubitatum fuisse video *ANGEL: ENIM ad leg: nemo carcerem Cod. de ea act: tribut.* Illud existimat sufficere, propter periculum quod est in morâ: quia ubicunque est periculum in mora ad probationem sufficit juramentum *leg. eorum ff. de damno infecto*, ne si alia probationes requirantur, quæ sæpe admodum nobis ad manum non sunt, debitor interim aufugiat.

Thef. XIII.

*Persona
arrestum
petentes.*

Arrestandi potestatem non tantum creditor habet, sed etiam socius, quia socii inter se dicuntur aliquod habere tacitum mandatum, ad ea quæ sunt utilia societati. *leg. 47. §. 1. ff. de Ædilit. edict.* item hæres creditoris hoc jure utitur, qui etiam debitorem capere potest, quantumvis intra tempus conscribendi inventarii existat, quia hic in jus, quod defunctus habuit,

habet, succedit *leg. 59. de Reg. jur.* Ideò omne id, quòd defuncto debebatur, ei quoque debebitur, & personam defuncti repræsentedat, & si ex instrumento agendum sit, non posset illi obijci, quòd in illo instrumento non sit nominatus; qui creditore nominato, videtur quoque nominatus ejus hæres. Sed quòd diximus arrestum habere locum intra tempus conficiendi inventarii, intelligendum est, quando debitor est suspectus de fugâ, quia aliàs regula est, hæres existens intra tempus conficiendi inventarii, neque debitores hæreditarios convenire, neque à creditoribus hæreditariis conveniri potest *leg. fin. §. donec. C. de jur. deliber.* Conjuncta persona pro alio etiam sine mandato agere, imò arrestum impetrare potest, ut facultate sibi à lege concessa utatur, & agat, dummodò caveat, eum pro quo id facit, ratum habiturum. *leg. 35. ff. de Procurat.* Hoc autem distinctè accipiendum est, & judex cautè procedit, si mandat ostendi necessitatem arrestandi, quâ commotus, conjunctus accedit ad hanc petitionem, ut verisimile sit, cujus nomine agitur, certò ratum id habiturum, deque eo sufficienter caveatur.

Thef. XIV.

PORRò locò creditoris arrestum postulare potest consors litis, qui pro consorte agere, & excipere potest. *leg. 2. Cod. de Consort. ejusd. lit.* Sed hoc restringitur ut verum sit, dummodò aliàs habilis sit ad agendum; quia consortium non potest duos defectus supplere, nempe mandati defectum, & personæ defectum, cum duo specialia concurrere non possint, *leg. 1. Cod. de Dot. promiss.* Potestas arresti transit etiam ad tutores, item curatores, pupilli vel adulti, cui debetur ex contractu, sive cum ipso tutore, sive cum antecessore pupilli celebrato, habente tamen paratam executionem, sive ex vi pa-

B

cti, sive

Et, siue alterius juris municipalis, cum enim potestas illorum in aliis approbetur, in hac etiam obligatione approbata videbitur, cum tutor item curator in rebus pupillorum, & minorum loco dominorum habeantur. *leg. 2. & 3. de Administr. tut. leg. 7. qui fundum §. si tutor pro Empto.* Hospites & caupones, cum creditores sint, pro consumptis jus detentionis ac arrestationis habent, cum enim publice intersit, hospitia habere pro peregrinantibus, in quæ de noctu vel interdium divertant. *leg. 1. nauta §. ff. Naut. caupo. stab.* igitur publica utilitas exigit, ut iis citissime solvatur, ne videlicet tædio non receptæ solutionis affecti, alios deinceps advenientes non suscipiant.

Thef. XV.

ET non tantum ipsi creditores, sed etiam illorum Procuratores arrestum impetrare possunt, *leg. 1. §. 2. & tot. tit. ff. de Procurat.* his tamen speciali mandato erit opus. *Harprecht. in §. procurator. Instit. de lis per quos ager. possunt:* quia in causâ executivâ, qualis est arrestatio, semper requiritur speciale mandatum, deinde quia arrestans & succumbens in arresti prosecutione incidit in poenam injuriarum, & ad damna & interesse tenetur. *per text. elegant in leg. si creditores 31. §. ult. ff. de Reb. author. judic. possid. leg. item apud. Labeonum 15. §. si quis bona 31. & §. si quis non debitorem 33. ff. de Injur.* ubi autem quis in poenam incidere potest, tunc ejus procurator non admittitur, nisi speciale mandatum habeat, denique quia arrestum alicujus famam & honorem lædit & ignominiam irretractabilem infert. *Gail. tract. de Arrest. imp. cap. 1. num. 12. versu nam licet arresta parvi sint præjudicii.* Ubi autem agitur de gravi præjudiciò, afficiente personam, & ejus famam concernente, quale

quale ex arrestis nascitur, tunc speciale mandatum requiritur, deficiente igitur hōc, Arrestum à mandatario impetratum pro nullō declarabitur. *dict. Harpr. ad §.1. Instit. de līs per quos agere possūm.*

Thef. XVI.

COMPETIT etiam jus arresti fidejussori, qui videlicet solvit, aut quoquō modō satisfecit creditori. *arg. si rem 9. §. omnis 3. ff. de Pign. action.* hic enim qui suā pecuniā luit, & redemit ad se obligationem debitoris principalis, rectē ipse quoque petit paratam executionem adversus debitorem principalem, pro quo solvit, ne videlicet deterior sit conditio fidejussoris, quā principaliter obligati, & actionem contrariam Mandati adversus debitorem instituere potest. *§. 6. Inst. de fidejuss. leg. 10. §. 1. & leg. 33. ff. Mandat.* nec indiget cessione adversus debitorem principalem, neque etiam de necessitate est, ut fidejussor fidem faciat debitori se ab alio conventum, sed ipsa executio, præviā istā denuntiatione non existente, subsistit. Non tantum verò solutione factā, fidejussori arrestum admittitur, verū etiam, si eò res sit deducta, ubi statim solutio facienda, videlicet, si vel condemnatus vel mox condemnandus sit. *Mev. tract. de Arrest.* imò quando reus de fugā suspectus, rectē arrestare eum potest, etsi nondum solutum præstitit, *arg. leg. 45. in fin. ibi. sed ex justa cause de fidejuss.* Tale jus etiam apparet fidejussori adversus confidejussorem, in tantum, in quantum hic debet, ad præstandum id, quod satisfactum est. *leg. si fidejussor. 41. & leg. fidejussoribus 17. de fidejuss.* denegatur autem ipsi regressus adversus confidejussorem, nisi habeat actiones cessas à creditore. *leg. cum alter II. Cod. de fidejuss. cum leg. ut fidejussor. 39. ff. eod. Mev. tract. de Arrest.*

Thef. XVII.

*Personæ
sustinen-
tes Arre-
stum.*

IN præcedentibus exploravimus conditionem petitoris, cui videlicet competat illud jus arresti, superest nunc, ut aliquid adjiciamus de persona debitoris, contrà quem parata executio peti potest. Et regulariter quidem constat debitorem cujusq; quacunq; legitimâ ex causâ sisti & detineri posse, sive purè, sive in diem, vel sub conditione, debeat: ad hunc nimirum effectum, ut cæveat de solvendo, si dies vel conditio extiterit. *leg. 41. ff. de judic. & leg. 14. pr. ff. de Pign. & hypoth.* Sive ad faciendum, sive ad dandum obligatus fuerit. Et tam Clerici quam laici arrestis subjecti sunt, dummodò Clerici arrestatio, ex jure Canonico, fiat à judice ecclesiastico. *Gail. lib. 1. observ. 37. num. 1.* licet pactò hoc jus tribuerint. Quia istis interdictum est, jurisdictionem ecclesiastici judicis in judicem secularem transferre, hoc enim beneficium totum corpus ecclesiasticum concernit, & non personam *cap. sè diligenti §. fin. de for. compet. Gail. lib. 1. observ. 39. num. 1.* ne subeundo tribunal judicum laicorum secularibus negotiis immisceantur, atque ità abstrahantur à divinis officiis. *leg. 31. Cod. de Loc. & conduct. cap. 1. extra ne Clerici vel Mon. secular. negotiis se immisceant.*

Thef. XVIII.

Quibus autem casibus hoc jus judices seculares acquirere possunt, patet ex sequentibus (I.) quando Clerici fugitivi sunt vel saltem de fugâ suspecti, retentâ remissione judicis competentis. (II.) Si periculum sit in morâ, & judicis competentis copia deest, ut tamen & suo judici arrestatus extradatur. *Mev. cap. 7. num. 91.* (III.) Si per longam consuetudinem,

tudinem, vel ex privilegio singulari potestatem judicandi & arrestandi exercuerint iudices seculares. Aliud est dicendum de horum bonis, quæ eadem immunitate non gaudent, quâ personæ. Illa enim arrestis subjecta sunt, ob contractus in foro alieno celebratos. Qualia sunt frumenta ceteraq; merces, quæ venales ab illis exponuntur. In iis enim non clericaliter, sed more mercatorum versantur. *Meu. dict. cap. num. 93. & seqq.*

Thef. XIX.

EAdem etiam est ratio fidejussoris, Rei principalis partes tenentis *leg. 4. §. 1. ff. de fidejuss.* Ideò, quòd ipsius fidem sequatur creditor. *princ. Instit. de fidejuss.* appellatione enim debitoris venit etiam fidejussor *leg. 21. §. 4. in fin. ff. de Verb. Oblig. leg. 29. de Recept. arbit.* Sicut ipsi debitores, ita eorum fidejussores, si antè diem suspecti vel fugitivi existant, fisci, capi & arrestari possunt. Salvum tamen ipsi manet, tam contra ipsam arrestationem, quàm arrestantem exceptionibus suis uti, quæ ipsi in hoc processu non minùs, quàm in alio salvæ manere debent. Conductor, mercede non solutâ, emigraturus, arrestari potest, & tunc justissimè locator utitur arrestò contra conductorem, sive colonum, sive inquilinum non solventem mercedem, & tamdiu fructus fundi vel illata vel invecta in arresto manent, donec locatori ab ipso satisfactum fuerit. *Meu. cap. 6. num. 55. de Arrest.*

Thef. XX.

Non solùm debitor sustinet arrestum, verùm etiam alius, cujus fidem creditor sequitur, ut hæres, quia pro unâ eadem

demq; personâ cum defuncto reputatur. *leg. 59. ff. de Reg. jur. ei-*
demq; cum suo commodo & incommodo succedit leg. 11.
Cod. de Acquir. possess. leg. 10. de Reg. jur. & adeundo hæredi-
tatem, cum debitoribus hæreditariis quasi contrahendo de-
bitor constituitur. §. hæres §. Instit. de oblig. qua ex quas. con-
tract. nasc. cum hæres debitoris etiam debitor sit, & ille pro-
priè debitor sit, à quo debitum inviro exigì potest leg. debi-
torem ff. de Verb. signif. cuiusmodi hæredem esse constat,
persona enim neq; naturam, neq; qualitatem debiti, mutat.
leg. 2. §. 2. ff. de Verb. oblig. sed ad quod defunctus compelli
potest, ad id & ejus hæres compelli potest. leg. postulan-
te 44. ff. ad SCtm. Trebell. verùm etiam adversus hæredes illi-
us executioni mandari potest. Quia ex quo debitor est ob-
ligatus in instrumento, obligatio suorum hæredum etiam
virtualiter continetur licèt hoc in instrumento non exprima-
tur. leg. 1 Cod. si cert. petat. leg. Si pact. ff. de Probat.

Thef. XXI.

Nihil interest, etiamsi constet, debitorem illum propter
 manifestam inopiam solvere non posse, cum & ex ope-
 ris suis & mercede diurnâ, deductis tamen prius alimentis,
 tantum corradere posset, undè creditori fiat satis. Aut si bonis
 cedere nolit, vel non possit, si videlicet nequitiâ, profusi-
 one culpâve suâ in paupertatem incidit, dolove malo, cum
 se solvendo non esse, sciret, cum creditore contraxerit, huic
 debitor operari debet, donec Ei fuerit satis factum.
 Hoc autem non procedit, si tempore contractus creditor
 ipsius inopiæ non fuit ignorans, sed sciens, prudensq; cum illo
 contraxit, arrestum non habebit locum, & damnum creditor
 suæ levitati imputare debet *leg. si is à quo. §. fin. ff. Ut in poss.*
legator.

legator. Scienti & Volenti enim non fit injuria text. in leg. cum donationis Cod. de Transact.

Thef. XXII.

EXploratō processu personarum arrestum sustinentium, *Persona privilegiata ab Arresto.* dispiciendum est & de personis hujus oneris privilegiatis. Et constitutum est, ut pupillis competat arresti privilegium immunitatis, cum ob defectum ætatis conveniri nequeant, tum etiam quod hi perfectam standi in judicio personam non habeant *leg. fin. Cod. Qui legit pers.* & qui non dicuntur velle, vel nolle *leg. pupillus nec velle 189. ff. de Reg. jur. nec in ea ætate, quid agant scire vel discernere præsumuntur leg. pupillus 9. ff. de Acquir. hered.* Parem immunitatem habere videntur Consilarii & Advocati Principis, quos propter præjudicium publicum, nusquam sisti, arrestari convenit, sicut nec alibi conveniri possunt *leg. jubemus, leg. petitionum Cod. de Advocat. divers. judic.* animadvertendum est tamen, hoc saltem personas respicere, & non ad ipsorum bona applicandum esse. Prætereà exceptionem patitur, cum in loco aliquo contraxere, vel solvere promissere, aut expressè aut tacitè fori privilegio renuntiare. His modis arrestis subiecti sunt. *leg. 1. ff. de Pact.*

Thef. XXIII.

SEcuri ab arresto & detentione personali, sunt Legati, vel alii, Sex necessariâ & probabili causâ peregrinantes, pro ut sunt, qui causâ testimonii vel causâ judicandi, in provinciam evocantur, aut aliter destinantur, item, qui pro justificatione suæ appellationis ad alium locum, quàm sui domicili, citantur. His enim jus domum revocandi proditum est,

est, *leg. 2. §. 4. ff. de jud.* dummodò in loco peregrino, ubi nunc exiguntur, non contraxerint, solis legatis exceptis, qui in hoc præ aliis privilegiati sunt, ut ne quidem pro contractibus, antè legationem ibidem celebratis in locis peregrinis respondere vel solvere cogantur, ne ab officio cæptæ legationis amoveantur *leg. 24. in fin. vers. ideo enim ff. de jud.*

Thef. XXIV.

Porrò non admittitur arrestum liberorum adversus parentes, tum quia liberis non competit perscrutari administrationem parentum, & inquirere an benè administrant, an liberali modo vivant, an facultatibus labantur an verò non. *leg. 8. §. ult. Cod. de secund. Nupt. leg. 6. §. 2. de Bon. quis lib.* tum quia liberi parentibus honorem debent *leg. vetuti 2. ff. de just. & jur.* & nullum actum adversus parentes exercere possunt, quò existimatio, fama & honor parentum læditur *leg. 16. ff. de Dolo mal. arg. leg. 2. leg. 9. ff. de Obseq. par. & patron. præst.* cujusmodi habetur arrestum, *Gail. de Arrest. imp. cap. 3. num. 154.* tum quia filius in exhæredationem parentum incidere potest *Nov. 115. cap. 3. §. 8.* Fallit autem hoc, si pater sit malæ vitæ, prodigaliter vivit, aut notoriè non solvendo, deindè si filius multò ære alieno obrutus est, & nisi solvat, bonis cedere & ità magnam jacturam famæ suæ facere cogitur, tunc enim rectè patrem ad solvendum cogere, vel in casum cessationis, ejus bona arrestare potest, ut eò facilius suum consequi, fidem liberare, & bonam existimationem retinere valeat.

Thef. XXV.

Proximi verò his sunt milites, horum favor est magnus ut in aliis contractibus, in horum autem numero sunt illi, qui actu

actu militant. *leg. 8. Cod. de Rest. milit.* Sanè qui non tam militant, quam latrocinantur; nullò privilegio digni sunt. Eadem est ratio eorum qui ad exercitum com meatum vel pecuniam adferunt, nusquam enim arrestari aut detineri possunt. *arg. leg. 5. §. 3. ff. de jur. immun.*

Thef. XXVI.

Nunc videndum quo in loco arrestatio ejusmodi fieri possit, & quò vel Res vel Persona arrestanda detinetur, generaliter autem sentiendum, respectu rei reservationis, requiri locum tutum, ab illo præstandum, cujus custodia traditur res. Si verò hic injuriam dolum & negligentiam committat, ad interesse tenetur. Detentio personæ non solum in propria ipsius domo: licet domus aliàs tutissimum refugium appelletur. *leg. 18. ff. de in jus voc. fieri potest, verùm etiam in alio aliquo loco ad id destinato.*

*Locus
rest.*

Thef. XXVII.

Quocunq̃ue autem tempore debitores adstringi possunt, diebus etiam feriatis, videlicet quando periculum in mora est, & illorum discessus timetur, aut rerum ex loco aliquo transportatio, ut creditori conveniendi facilitas evadat. Igitur ubi merus debitoris discessus apparet, arrestari potest re & corpore, etiam in feriis divinæ Majestati dedicatis, donec solvat, aut aliò modò creditori satisfaciat, *leg. fin. Cod. de feriis* etiam de nocte arresta peti possunt, quia licet tempus hocce ad judiciales actus perficiendos incongruum & indecorum videatur, tamen ob urgentem necessitatem, si res tempore est peritura, etiam judex de nocte partes suas adhibere, potest. *leg. 1. §. 2. leg. 2. leg. 3. ff. de fer. necessitas enim non habet legem.*

*Tempus
Arrest.*

C

Pendente

Pendente lite quoque arrestari possunt debitores, quia licet pendente lite nihil sit innovandum. *leg. 1. ff. de Appell.* tamen si periculum fugæ imminet, vel aliàs æquum judici visum fuerit, urgebirur arrestatus, ut caveat de iudicato solvendo, quia litis contestatio damnum creditori non debet adferre, *leg. non solet ff. de Reg. jur.* & remedium extrajudiciale non impeditur per litis pendentiam, ex novâ causa.

Thef. XXVIII.

EX diverso constat quòd durantibus nundinis nulla arresta, sive personarum sive rerum admittantur, nulliusque persona ex causâ vel obligatione civili detineatur. Quod etiam de jure Communi cautum invenitur *in leg. fin. Cod. de Nund. Novell. 52. cap. 1.* Cum Nundinarum securitas ad commodum & salutem Reipublicæ spectet, ut merces quæ ad hujus vitæ conservationem necessariæ sunt, liberius & in majori copiâ importentur, non impeditâ tam ementium quam vendentium libertate, sine qua rarius frequentarentur solennia ista commercia *dict. leg. unic. Cod. de Nund.* non veniunt autem hoc in loco Nundinæ hæ, quas populus illegitimè sibi usurpat; Sed hæ, quæ ex immemoriali consuetudine, vel superioris indulgè, sunt institutæ. *Möll. Semest. lib. 1. cap. 12. num. 1. & fin.* Ab hac immunitate etiam excluduntur in ipsis nundinis contrahentes. *per text. express. in leg. 19. §. 2. ff. de jud.* Postremò exules, proscripti seu qui crimen aliquod commiserunt, immunitate ista nundinarum non gaudent, hujusmodi enim homines existimantur esse hostes civitatis, quippe cum semel mali esse cæperint, metuendum, ne pessimo exemplo, vel furandi vel malignandi animo, ad nundinas accedant pacemque publicam turbent.

Thef. XXIX.

Thef. XXIX.

Porro impetrando arresto necessario Judex Competens ^{Iudex} ^{Arrest.}
adeundus est, quia judici notoriè incompetenti reus non
tenetur parere, & perinde habetur ac si privatà auctoritate
factum sit arrestum. Præprimis verò diligenter iudices ani-
madvertere debent, ne præcipitanter (præcipitatio enim No-
verca justitiæ est, *text. in clement. leg. pastoralis §. verum, quia. de*
sent. & re jud. nam iniquitas omnia præcipitat, virtus autem
lenta est omnium percunctatrix. *tex in c. non perpetuum 24.*
quæst. 3. gloss. fin. ibidem, ideoque sententia præcipitanter lata,
nullius momenti est, *per text. in can. cum Bertoldus §. fi. & ibi-*
dem) & præpoperè ob ignominiam irrevocabilem, quam ar-
restum infert, ad nudam cujuslibet creditoris petitionem illa
decernant, & permittant, sed prius causam saltem summarie,
secum discutere debent, an persona cujus bona arrestari pe-
tuntur, sit solvendo, an per calumniam, & de industria igno-
miniosè arrestum petatur. *Ubi prudentissimè Andr. Gail. de*
Arrest. Imp. cap. 1 num. 11. his verbis monet. Periti iudices non de-
bent præcipitare Arresta sua, & præpoperè ad nudam petitionem cu-
juslibet illa indiscretè decernere & promittere, das Rummers
Recht nicht alsbald und unbedächtlich verstaten / sed prius saltem
causam summarie examinare &c.

Thef. XXX.

ERgo pro obtinendo arresto non quilibet iudex admitten-
dus est, sed is cui non potest objici incompetencia. Com-
petens autem Variis ex causis constituitur (1) Ratione domici-
lii (2.) Si persona vel cujus res arrestantur sit Vagabunda, qui-
libet iudex loci ubi invenitur, fit competens, necessitateq; ur-
gente

gente detineri potest. Vagabundus a. is appellatur, qui nusquã certã sede habitationeque consistit, licet domicilium ratione originis habeat. *text. est in leg. ejus qui manum §. celsus penul. ff. Admunicip. & in leg. dies cautioni §. prator ait. ff. de damno infect.*
 (3.) Ratione fugæ, quando debitor est fugitivus, ipsi nulla exceptio competit de foro competente, cum is totum mundum forum habeat, sed ubi is invenitur ibi judicatur. (4.) Ex contractu vel conventionẽ fit competens, quod procedit si debitor in loco initi contractus deprehendatur. Quocunque enim loco quis contraxerit, siquidem ibidem deprehenditur, ibi conveniri ac arrestari potest, etsi solutio in certum locum destinata sit, in hoc quoque executio valet. Nec refert qua de causa in isto loco moram faciat, an causã transitus, mox discessurus, an securitatis, puta grassantis pestis aut belli cum debuit cogitare hoc evenire potuisse. *leg. 9. si quis domum, it. leg. 1. ff. Locat.*

Thef. XXXI.

*Cautela
pro ju-
dice.*

NE autem judex ob arrestum concessum aliquod damnum sentiat tutissimum est, ut ille à creditore efflagitante arrestum cautionem de servando indemne tribunal judicis, & refundendo expensas cum omni interesse in casum succumbentiæ, recipiat, quam cautionem debitor præstare cogitur, aliàs ipsi arrestum non decernitur. Illud tamen cum moderamine quodam intelligendum est, ut ejusmodi cautio tunc locum sibi vendicet, si is satis sit possessionatus, vel copiam fidejussorum habere possit, si verò arrestans sit forensis & pauper, ità, ut ejusmodi cautionem præstare, vel fidejussores habere non possit, tunc adjuratoriam cautionem admittitur, tum, quòd generaliter in omni obligato cavere vel fidejubere receptum sit, si non possit propter inopiam, vel quia forensis est,

est, quod admittatur ad juratoriam cautionem. *leg. 94. ff. De Reg. jur. Math. Coler. process. execut. part. 3. cap. II. num. 107.*

Thef. XXXII.

Arrestum ita legitimò modò decretum, & constitutum, certis etiam modis relaxatur & resolvitur, Et quidem si nulliter, sine requisitis substantialibus injustè & sine sufficienti causa est impositum, tunc statim in totum absque cautione & citatione partis relaxari debet, si modò ea nullitas evidenter appareat. Quia sicut iudex facilis fuit in immittendo arrestum, ita etiam facilis esse debet in extrahendo. *leg. 1. §. 1. ff. si mulier ventr. nom.* Quæ enim per iudicem injustè de facto facta sunt, absq; partis citatione revocari possunt. *Gail. lib. 2. observ. 76. num. 13.* illicita enim de facto facta nullò modò justè excusari possunt. *leg. 1. §. 3. ff. Quod vi aut clam.* Meliusq; est maturè revocare, quàm remorandò justitiam in expensarum pænam injusti impositi arresti tandem incidere: qua in parte iudici & parti benè consulitur.

Relaxatio
Arrestis

Thef. XXXIII.

Arrestum etiam relaxatur per idoneam, plenam & sufficientem cautionem, quæ non aliter admittitur, nisi offerendo fidejussores vel pignora. *Gail. lib. 2. observ. 44. num. 10.* Hoc in loco ex quatuor causis fiunt idonei fidejussores. Primò si habent in bonis tantum, quantum ipsa causa valet, qui autem tantum in bonis non habet, fidejussione indignus censetur. *leg. 41 ff. de Petit. hered. leg. 3. §. ult. ff. ut in poss. legat. leg. 3. ff. de fidejuss.* quales sunt multa mobilia possidentes, sed onerati multo ære alieno, cùm bona non dicantur nisi deductò ære alienò, Secundò, ut fidejussor idoneus habeatur requiritur, ut sit jurisdictioni iudicis arrestantis subjectus, & tot bona possideat, quæ



debito, usuris & litis sumptibus æqualia, qui verò non sunt de isto foro, neq; ibi bona possident, pro idoneis fidejussoribus non habentur. *leg. 1. ibique gloss. & Dd. si quis in jus vocand. non iver.* Tertio fidejussores idoneos reddit conveniendi facilitas, *leg. 7. princ. ff. qui satisd. cogunt. leg. 3. de fidejuss.* quos facile convenire non possumus, pro idoneis fidejussoribus non sunt habendi, nec invitis obtruduntur, hujusmodi sunt illi, contra quos executio ac processus admodum difficilis. *Gail. lib. 2. Observ. 27.* Quarto pro idoneo fidejussore is reputatur, qui præter bona etiam est bonæ famæ & existimationis, non levis nec perfidus, nec infamis, nec usurarius.

Thef. XXXIV.

AD relaxandum arrestum, autem, cautio juratoria regulariter sufficiens non est, ad quam nunquam pervenitur, si aliò remediò cautionem petenti consuli possit. *leg. si fidejussor §. si satisdatum, num. 6. ff. qui sat. cog.* hanc ob causam, quòd sit fragilis, & parum vel nihil securitatis in se contineat, cum facile per iniquum debitoris factum eludi possit. *leg. 38. in fin. ff. Rei. Vind. Gail. de Arrest. Imp. c. 3. n. 10.* Si verò arrestatus aliter satisdare non possit, vel propter paupertatem, vel quia forensis est, tunc præstitâ saltem cautione juratoriâ, relaxari debet ut supra dictum, sed hoc ità accipiendum est, si persona offerens cautionem juratoriam vitæ integritate sit conspicua, & probatæ existimationis: secus si sit suspecta, & levitatis opinionem apud omnes habeat.

F I N I S.


ULB Halle 3
003 487 296




50

VDA 17







B.I.G.

Farbkarte #13

38

O JURIDICA
 GURALIS
 De 1677/15
ESTIS
 Quam
 VENTE GRATIA
 HORITATE NOBILISSIMI
 INCLITA ET PERANTIQUA
 DEMIA HEIDELBERGENSI
 AESIDE
 ATQUE CONSULTISSIMO
ISTIANO
 O Reichenbach/
 ND. PROF. ORD.
 LICENTIA
 UTROQUE JURE
 LEGIA AC INSIGNIA
 RITE ET LEGITIME
 QUENDI
 m Examini submittit 10
NES Geissel
 rg. Haflus.
 Martii H. L. Q. S.
 LBERGÆ,
 MMONII, ACAD. Typogr.
 DC LXXVII